CARMEN ULRICI BOLLINGERI.

NEc tu carminibus noſtris indictus abibis
Salmæa quondam ſtirpis IANE *decus.*
SALMA domus tibi dat præclarum nomen avitum,
Sanguinis antiquum cernitur unde genus.
Olim Trojanæ Dux hanc ab origine gentis,
Condidit ad Rheni flumina nota procul.
Sunt Bilionæo cognati ſtemmate Reges,
Qui Solymas arces incoluere diu.
Temporibus noſtris pariter Salmæa propago
Terrori diris hoſtibus eſſe ſolet.
Murus erat Trojæ quondam Priameius Hector
Jecit & in turpem caſtra Pelaſga fugam:
Sic hi Pannoniam defendunt fortibus armis,
Quam trux aſſiduo milite Turca premit.

JOANNA, ANDREÆ LIB. BARONIS JANIVILLÆ F. 3. Adavia paterna.

HUic JOANNA *thoro primo ſocieta marita*
E JANVILLÆA *ſtirpe creata fuit.*
Dedita tota Deo pietatis idonea cultrix,
Et quæ pauperibus munera larga dedit.

Quartus Adavus & Adavia paterna.

Illuſtriſſ. Princ. & Dominorum,

Dn. IOANN. FRIDERICI SPONSI, ET Dominor. Fratrum Ducum. Wyrtemb. Com. Mompelg.

ARNOLDus Liber Baro à Syrcka, quam arcem & urbem hodiè poſſident Duces Lotharingiæ, unà cum oppidis & arcibus Beriſa, Wolderſinga, Gemunda ad Saram &c.

ARNOL-